

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MORBO
HYPOCHONDRIACO

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI
SVB PRAESIDIO
MAGNIFICI ACADEMIAE PRO-RECTORIS
D. GEORGII GOTTLLOB
RICHTERI

CONSILIARII AVLICI ATQVE ARCHIATRI REGII
MEDICINAE PROFESSORIS PRIMARII
CAESAR. ACAD. NATVR. CVRIOS. SODALIS
PATRONI
OMNIS OBSEQVII CVLTV DEVENERANDI
PRO LICENTIA

SVM MOS IN ARTE HONORES ATQVE PRIVILEGIA
LEGITIME OBTINENDI
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PLACIDAE AC PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
DIE XXV. MART. clō lō CCXXXIX.

H. L. Q. C. SVBIICIT
AVCTOR
LEHMANNVS ISAACVS KOHEN
HAMBVRGENSIS, GENTE JVDAEVS.

GOTTINGAE
APVD ABRAM VANDENHOECK ACAD. TYPOGR.

morb spec 1829

thol. spec.
97,52

ERRATO INVENTARIO
M O R B O
FOCCHIONI JACO

AVVISO
GEORGI
RICHARD

IMMO
L'ESTATE

DE
L'ESTATE

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO,

D O M I N O

FRIDERICO ERNESTO,

MARCHIONI BRANDEBURGICO,

DVCI BORUSSIAE, MAGDEBURGI, STETINI,

POMERANIAE, CASSUBIORVM ET

VENDEORVM, MECKLENBURGI,

ATQVE IN SILESIA CROSNAE,

BVRGGRAVIO NORIMBERGAE,

PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE, CAMINI,

VENEDORVM, SCHWERINI ET RATZEBURGI

COMITI HOHENZOLLERAE ET SCHWERINI,

DOMINO DITIONIS ROSTOCHIENSIS ET

STARGARDIAE,

PRODVCI ET GVBERNATORI GENERALI

PROVINCIAE REGIARVM SLESVICEN-

SIVM ET HOLSATICARVM

GENERALI LOCVMTENENTI PEDESTRIVM

COPIARVM ET TRIBVNO LEGIONIS

PEDITVM, EQVITI REGII DANICI

ORDINIS ELEPHANTICI.

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME

Consp^{ectum} T^vv^m subire aude^t, CLE-
MENTISSIME PRINCEPS, acade-
mica haec ignoti hominis exercita-
tio, non quod aliquam meriti sui fiduciam ha-
beat, sed quod humiles musas T^vv^m vere
cunde exambientes praesidium haud abs TE
fastidiri sciat. Illa nimirum magnarum ani-
marum ingenita virtus esse solet, tutela sua
omnes

omnes protegere, quibus eam, quam exco-
luerunt artem, in publicos multorum usus
producendi sincera voluntas est. Et illam
quidem, cui Regius nutus TE praefecit, pro-
uinciam nouis quotidie exornare beneficiis
saluberrimisque fulcire institutis, nec minus
iis, qui suam nauare operam ciuibus velint,
commodam stabilire sedem, omnium iudicio
consueuisti. Quid igitur impedit, quo minus
in spem certam ingrediar, fore, ut mihi in
beatam sub TVIS auspiciis curisque regionem
transituro, si boni ciuis impleurim fidem, nihil
quod reliquis clementia TVA indulget, nega-
tum iri. Hoc ego cum omnibus pietatis offi-
cio certabo, ut Serenissimae TVAE Domus,
quae tot heroes multorum seculorum inter-
uallo genuit, perpetuum florem & noua in-
dies incrementa Diuino Numini assiduis
commendem precibus, inuiolabili deuotissimi
animi religione permansurus

CELSISSIMAE

TVAE SERENITATIS

submississimus seruus

LEHMANN ISAAC KOHEN.

C O N S P E C T V S.

- §. I. *Mali hypochondriaci etymon.* §. II. *Aliarum appellationum minus appositarum origo.* §. III. *Succincta mali huius definitio.* §. IV. *Aliorum, qui ab hac definitione discrepant, conciliatio.* §. V. *Status sanguinis in hoc morbo tenui parte orbatu & hypochondria obsidentis.* §. VI. *Causae, quae hanc corrupti sanguinis crassum producant.* §. VII. *Effectus & symptomata morbi ex indole harum causarum explicata.* §. VIII. *Diagnosif & prognosif.* §. IX. *Fundamentum sanationis & varia huius impedimenta.* §. X. *Prima sanationis conditio in leni solutione lentoris & correctione inhaerentis acrimoniae.* §. XI. *Conditio secunda in determinatione solutae correctaeque materiae hypochondriacae ad loca conuenientia.* §. XII. *Tertia conditio in roboratione vasorum hypochondriacorum praecedente infarctu debilitatorum.* §. XIII. *Epicrisif in remedia ab multis autoribus iactata.* §. XIV. *Praesidia pauca ex fonte chirurgico petenda.* §. XV. *Diaeteticum vitae regimen hypochondriacis praescribendum.*



§. I.

Acturus de *Malo Hypochondriaco*, quamuis non sit cur multum in voce haeream, cum tamen nomina subinde rerum sint symbola, & ad earum pleniorum cognitionem, iudice SCALIGERO, quasi praeparent, paucis hic indicare licebit, appellari morbum nostrum a sede affecta, secundum quam sit morbus costis spuris subiacens. Nam ὑπὸ χόνδρῃς est sub cartilagine; istas vero costas maximam partem cartilagineas esse constat, atque inde est, vt veteres, quicquid vitii in prima regione tertii ventris occuparet latera, quae Hypochondria appellabant, hac voce indigitarent, in primis vero Hypochondrium sinistrum, quod lienem complectitur, intelligerent, vnde origo Germanicae vocis *die Milz; Beschwehrung*.

A

§. II.

§. II.

Palam est, cum morbus noster se per omne fere abdomen, imo vltcrius diffundat, arctiorem vocis esse sensum, quam pro rei veritate. Sed quis unquam tam concinnam inuenerit appellationem, quae omnes rei determinandae conditiones exhauriat. Id an rectius factum sit nomine olim imposito *affectus Mirachialis* ab affecto abdomine (a), aut secundum Aui-cennam *Illisis* h. e. affectus praecordialis, discernant illi, qui barbararum vocum origines acutius inspicere volunt. Certe non nisi leuia morbi momenta attendunt, qui cum *Aetio* (b) affectum flatuosum, cum Diocle apud Galenum (c) *phlogosin* siue calefactionem viscerum, cum Barbetto *matrem scorbuti*, cum aliis morbum Eruditorum vel etiam *passionem Heroicam* (d) appellant. Forte conuenientior non est vox quam ipsius Hippocratis (e), qui

(a) Sennert. L. 3. Pr. M. P. V. S. I. C. I.

(b) Tetrab. 2. Sermon. 2. c. 9.

(c) Lib. 3. d. loco affect. cap. VII.

(d) Wedel. in theorem. part. 2. sect. 5. introd. med. ad laesa mech. corp. reliqu. pag. 75. §. 45. Sylu. pr. med. append. tract. 7. §. 189.

(e) Lib. 2. de morb. germ. Sect. 3. p. 146.

qui morbum resiccantium vocat, cum siccissima sine dubio morbi moles impleat vasa abdominis, & si quid tenuis lymphae superest, ad glandulas oris determinet, vnde hos aegros idem sputatores nominat. Talem inquam siccitatem iustius in hoc morbo arguimus, quam chymici quidam tartarum hypochondriacum. Verum piget solis appellationum naeniis ulterius inhaerere.

§. III.

Consistit ipsa indoles mali nostri in sanguinis fluxiliori parte orbati, versus vasa coeliaca & mesenterica (*f*), per legem hydraulicam determinati, & in horum ramis per totum fere abdomen dispersis, & extra vim cordis magis positis, aegre circumeuntis restagnatione & infarctu, in quo sensus perpetui ponderis circa illa loca urgentis, identidem anxietates, spasmi, & impeditae illarum partium secretiones functionesque simul observantur.

§. IV.

(*f*) Haec vasa cum ramis venae portae iam Sennertus coarguit M. P. L. III. P. V. S. I. C. 2.

§. IV.

Haec quae in compendio dixi, facile conciliabunt multorum in diuersa euntium sententias. Fuerunt nempe, qui sedem mali in intestino Colo ponerent (*g*) idque ex flatibus perpetuisque obstructionibus, quas comites ille morbus habet, deriuarent. Fuerunt, qui solum incusarent ventriculum (*h*), quod ructus saepe & vomitus aegros infestaret. Imo fuerunt, qui inter diaphragma & stomachum nidum tot flatulentiarum sibi imaginarentur (*i*). Quid illi nisi sparsim indicarunt, quae coniunctim comprehendere debebant? Qui hic tumorem lienis (*k*), qui hepatis infarctus, qui glandularum mesentericarum obstructiones accusauerunt, pariter non sunt nisi hoc nomine redarguendi, quod totum mali ambitum arctioribus circumscripserint limitibus. Fortassis rectius iudicasse

(*g*) Hildan. 5. Obseruat. 58.

(*h*) Highmor. pag. 74. Barbett. prax. pag. 140. Hoechstetter. decad. 5. obseruat. Ettmull. dissert. Acad. VI. §. XII.

(*i*) Inter quos fuit Lev. Fischerus, qui edidit peculiarem tract. de loco & foco mali Hypochondriaci.

(*k*) Sennert. prax: med. l. 3. part. 5. Sect. I. cap. IV. Sylu. in dissert. d. liene §. 20.

illi videbuntur (l), qui totum hoc malum in *mesentericum, stomachicum, hepaticum, spleneticum, cardiacum, hystericum, haemorrhoidale & melancholicum* diuiserunt, sed officit hic turba nominum, cum succinctior idea sit, in solis illis dictorum vasorum, per vasa abdominalia repentium, propaginibus sedem mali inuestigare.

§. V.

Praestat omnia seorsim intueri. Sanguinis hic illam naturam coarguimus, quae necessariae circulationi per vasa abdominalia repugnet. Nemo nescit, in sanguine aquam inprimis, salem, oleum, terramque certa connubii lege, quae fluxilitatem sustentet, coiuisse, sed aquam reliquarum partium intuitu adeo abundare, vt eius plus quam decem vncias complexu suo suppeditent duodecim sanguinis (m). Solam
ponamus

(l) M. Martin. de morb. mesent. pag. 152. Godefrid. Smoll. triadem descripsit Hypochondriacarum, quarum una esset splenetica, altera Mesaraica, tertia phantastica Hamb. 12. 1610.

(m) Imo possunt leui igne supposito ꝛXI. elici, id quod remanet crassum nigrumque noua destillatione dat salem volatilem, dein oleum, hinc salem viscidiorum & tenax oleum in fundo haerente terra cum aliquo sale marino. Ita prout morbus noster

ponamus causam, quae aquosam illam & diluentem partem discutiat & eliminat, difficile non erit intelligere, quomodo reliqua massa, quae in terra ac oleo cum latente sale tenacius mistis consistit, haereat maxime circa hypochondria, vbi lentior motus & vasa laxiora. Atque ille sanguis cum ater & piceus appareat, mirum non est, quod apud veteres atrae bilis susceperit nomen, quam pro causa melancholiae venditabant. Talem sane originem spissioris sanguinis abdominalis facilius sine dubio est concipere, quam cum aliis (n) acidam saburram, vel corrosiuum acidum (o), tartarum acidum (p); aut pituitosum terrestre adstringens & austerum (q) sibi vel fingere, vel obscuris ambiguique sensus adstruere vocibus. Perplacet hic Cel. Boerhaavii triplex, quod describit, huius morbi stadium. Quousque descriptus sanguis legibus consuetae circulationis, quamuis inter varia impedimenta, adhuc obsequitur

validior est vel languidior, plus accedit ad statum illum nigricantis & viscidioris acriorisque sanguinis.

(n) Sennert. prax. med. lib. 3. part. 5. sect. 1. cap. 3. pag. 509.

(o) Highmor. pag. 105.

(p) Paracelsus.

(q) L. Ioubert. lib. d. febr. quart. c. 8. p. 319. Lang. part. 11. p. 38.

quitur, nomen dat atrabilarii humoris. Qui adhuc magis spoliatus tenui parte & ad vasa hypochondriaca pro fauente eorum situ & conditione delatus, accumulatusque ac stagnans, lienisque, ventriculi, pancreatis, omenti & mesenterii obsidens vasa, Morbum hypochondriacum generat, in progressu vero ex fixata magis & compacta materia, nunc acriori & rodente ac corrumpente loca, in quibus continentur, melancholiam parit, quam in his sedibus ortam appellant hypochondriacam. Abstineamus ab intuitu postremi mali, quippe omnium atrocissimi & in manias, deliria verasque viscerum abdominalium consumptiones desinentis & peritissimorum quoque medicorum operam plerumque eludentis (r).

§. VI.

Apparebit nunc luculentius, ex quibus causis tenacitatem illam vasa enarrata opplentem suscipiat sanguis. Primum huc referimus exercitia animi & corporis, quae magna nunquam sunt sine iactura liquidioris partis. Ex illa perpetua

(r) V. Boerhaau. Aphor. §. 1092. 1098. 1108.

petua mentis meditatione consumi spiritus, cruda stagnare in lentis ramis coeliacae ac portae, & aggesta obstruere, nemini potest esse obscurum. Inde robustos etiam, si studiis contumacius se applicare incipiant, breui, mutato corporis habitu, constat melancholicos fieri, quales fere omnes sapientes esse docuit Aristoteles. Peruigilia horum hominum, & longae lucubrationes, vti subtilissimam partem ad caput ducunt, ita effoetum & crassius in viscera deponunt. Adde affectus quoscunque, siue hilaritatis siue moestitiae, qui spiritus subducunt motuum autores, vnde quiescentis sanguinis & coeuntis saburra inferne inprimis, vbi virium propellentium minus est, accumulatur. Ita & Venus subtilia dissipat, neruosque concutit, & mature libidinosam iuuentutem siccat & emaciat. Multos occurrere in Veneris castris exercitatissimos, qui crescente paulum aetate tristes & morosi sint, nouum plane non est. Vltterius huc numeramus, qui longo itinere in aere sicco & per loca calida & arenosa defunguntur, cum ille externus aestus tenuiora dissipet, vnde Asiae, Africae & aliarum calidarum regionum incolae longe magis huic morbo sunt ob-

noxii,

noxii. Si denique homines molles ac sedentarii, quorum perpauca ab hoc malo immunes manere Sydenham scribit, cibos duros crassioresque appetant, ut carnes bubulas fumo duratas, lardum, farinacea non fermentata, fructus immaturos & similia, nemo dubitabit, sanguini exinde ingentem acquiri spissitudinem. Et fortassis illi primum in hoc catalogo nomen merentur, quibus volupe est, quotiescunque valetudinem vacillare metuunt, nunc sudorifero, nunc purgante vel alio remedio euacuante aut stimulante, quod tenue dissipet, uti. Idem effecit Syluiana haeresis, quae febre laborantes calidis & sudoriferis, negato etiam potu tractauit, ut adeo hic & morbus & ars conspirarent ad defraudandum tenuiori parte aegrotorum sanguinem.

§. VII.

Nihil amplius requirimus quam hunc inspissati sanguinis statum, ut symptomata quaeuis, quibuscum aeger conflictatur, commode interpretemur. Color eorum cutem occupat post pallidum flauumque nigricans, cum deficiat in corpore lympham, quae atrio rem humorem diluat,

B

diluatur,

diluat, & pellucidiorē reddat. Ipsum illud tenax & viscidum, quod magnam acrimoniam inuoluit, distendendo irritandoque vicinas maxime partes, vbi tot nervi eorumque plexus reperiuntur, sollicitat in spasmos, nunc cum vomitu, qui saepe linguam, guttur & fauces obseruante Highmoro exurit, nunc cum ingenti cordis palpitatione & deliquio spirituum ob angustatum pectus, nunc cum copioso mictu tenuissimi seri, quod pathognomonicum in primis huius morbi saeuientis signum est, nunc cum ptyalismo, quo exclusum hic serum ad os redundat, ingruentes. Et quoniam post tot nouas tenuis partis iacturas sanguis parum in se habet (s), quod ad loca secretoria & excretoria deriuatus ex se dimittat, quid mirum ordinarie nec mictum fere nec sudorem, nec aluum labricam in his hominibus obseruari, sed macilentos totos apparere, quod consumptionem lateralis liquidi, lymphae & pinguedinis declarat. Nam quoniam liquida ista non continuo renouantur, & vasa sibi destinata implent, sequitur

(s) Fit inde, vt hypochondriaci, omni morbo superueniente, qui pro benigna crisi copiosam lympham requirit, vehementer periclitentur. Ita 1732. sub cl. Iunckero Halae prodiit dissertatio medica de variolarum pernicio in hypochondriacis.

quitur inde, vt collabantur exceptis tantum ve-
nis & arteriis maioribus. Moestitiam & amo-
rem solitudinis ex eadem ratione in hypo-
chondriacis plerisque obseruamus, & omnes si-
mul ac instinctu quodam soli esse cupiunt, in
primo huius morbi statu esse iudicamus. Nam
cum lentore illo sanguinis coniunctus est amor
vitae sedatioris & omnis varietatis fastidium.
Mobiles quippe esse fluxilesque humores oportet,
si agilitas sit animi circa res semper nouas
occupata. Crescente morbo cum maiori sensu
grauitatis maxime post assumpta tumere & inflari
hypochondria solent, exarescente reliquo cor-
pore, vnde Traianus olim cum splene & he-
pate fiscum comparauit, quo pleno marceret
populus. Ex abdomine ita tumente patet ratio
anhelosae respirationis & ductorum frequenter
suspiriorum, cum non possit non pulmonis fun-
ctio a presso & assurgente diaphragmate cum
quodam suffocationis sensu impediri. Id vero
quod in toto morbo frequentissimum sympto-
ma est, ructus vomitus & ingestorum corru-
ptio intelligi partim ex dictis potest, partim ex
adminiculis digestionis hic fere oppressis. Ex
tali enim sanguine quia tum lymphae gastri-
cae,

cae, tum intestinalis, tum vero inprimis bilis & succi pancreatici parum secerni, & deriuari ad intestina potest, inde liquido patet, ingesta spontaneam corruptionem subire ob deficientem illam inquilini humoris, qui maxime subigit & mutat, miscelam, adeoque vegetabilia ingesta plerumque acescere, animalia alcalescere, glutinosa in crassam saburram condensari. In tali vero statu stipari aluum, oriri ructus, excitari vomitum, bilemque his locis exclusam & in sanguinem reuolutam creare icterum, omnibus vel leuiter rem cognoscentibus, intellectu facile & expeditum est.

§. VIII.

Dicta symptomata quousque in sensus incur-
runt, diagnosin morbi haud difficulter consti-
tuunt, maxime si vestigia antecedentium cau-
sarum pariter iam recensitarum, in corpore tali
morbofo animaduertimus. Quoties nempe occur-
runt aegri vel sedentariae vitae & nocturnis lu-
cubrationibus assueti, vel inter vehementes cor-
poris motus in sicco & aestuante aëre, sitim fer-
re & crassos cibos ingerere soliti, vel perpe-
tuis

tuis sudoribus diarrhoeis aliisque internorum liquidorum consumptionibus obnoxii, quorum inflari hypochondria & grauatiuo dolore infestari incipiant inter vomitus flatusque, anorexiam & dyspepsiam, spasmos abdominales, sputa perpetua & limpidioris vrinae, quoties vis morbi increfcit, excretiones, haud dubitabimus medicam iis opem tanquam hypochondriacis sine vlllo temporis dispendio praestare. Quod si dicta symptomata cateruatim ingruant & violenter, suspicari oportet teterrimas melancholias & post incrementa laesae digestionis & chylicationis vitia maiorem indies sanguinis corruptelam & funestam abdominalium viscerum labem. Ceterum pertinet ille morbus ad chronicos siue longos, quos teste Platone in Timaeo blandissime tractari conuenit haud vehementioribus irritari. Verum de his nunc accuratius.

§. IX.

Postulat morbi indoles, vt viscidum illud & tenax, quod indigitatam a nobis sedem occupauit, solutum ac mobile iusti circuitus impleat per vasa post infarctum debilitata, sed nondum de-

B 3

structa,

structa, legem, & vim nocendi irritantis acrimoniae, quam mora ac stasi acquisiuit, iterum deponat. Huc tendenti medico multae obsistunt difficultates. Rem enim aggredi purgantibus, vt quorundam mos est, id non solum plus liquidae partis subducendo auget infarctum, sed & in loco sensibili & neruoso magnam illam ad spasmos procliuatatem irritando aggrauare solet. Quod & de stimulantibus valet siue aromatica sint, siue salina, quorum abusus fatuos teste Sydenhamo multos reddidit eiusmodi aegros. Cum Pitcarnio quidem & Wodwardo vomitum ante omnia prouocandum esse, Allenius (t) existimat, quasi haec basis sit curae, qua fomes morbi subtrahatur. Verum quid a tam vehemente stimulo metui debeat, ex mox dictis apparet, quantumuis non negemus, ea quae in eiusmodi corporum primis viis corrupta & indigesta fluctuant, cum quodam leuamine per vomitum eliminari, quod tamen non est idem ac fomitem mali expugnare. Qui misturas ex salibus volatilibus cum castoreo, vel trochiscos de myrrha, vel fuliginem furni splendentis, vel flores sulphuris cum nuce moschata & theriaca

(t) Synops. med. pract. cap. 3. art. 123.

in

in vino solutos, similiaque cum multis commendant, probe viderint, ne spasmos, scotomias, vertigines, angustias thoracis, tremores cordis imo apoplexiam & alia immedicabilia mala accersant iis, quibus consultum volunt. Non plane spernimus horum omnium usum, sed ut ferre illum corpus possit, aliquanto benignioribus ab initio remediis tentandum est. Videbimus seorsim, quae vel ex fonte pharmaceutico, vel chirurgico vel diaetetico in aegri emolumentum peti possint.

§. X.

Talia sunt eligenda, quae placide lentorem solvunt. Praestat enim tranquilla potestas, quod nequit violenta. Solvunt omnis generis salia, quae tamen nisi mitissima eligis, suo stimulo nocent, mitescunt autem si in saponis naturam transeunt, & blandioris olei vinculo tegunt nonnihil aculeos suos. Et quoniam lentum illud, cuius vasa sua opplentis solutionem requirimus, acrimoniae non est expers, pro huius determinata indole eligere soluentia oportet. Quod si alcalina acrimonia peccat, quam
foetor

foetor arguit animae liquidique cuiuscunque excreti, fitis & siccitas oris & multa alia, confirmantque praecedens victus animalis, vehemens motus &c. oppugnare eam soluentium contrariorum dosi exigua sed frequente oportet. Quid praeter aquam & mel potioem hic exferit virtutem, Hippocrati tantopere commendatam & a Dureto aliisque prudentissimis medicis pro exploratissimo remedio agnitam? Vel solo hydromellis longo usu effectum est, vt fluxus solutae materiae sistere nequirat. Ita summum veterum remedium contra splenicos morbos erat paratum cum aceto mel cum squilla incocta. Conducunt eadem ratione fructus horaei, quorum saponaceam vim & leni vi soluentem alcalinisque humoribus infestam nemo diffiteri aufit. Vel solis cerasis maturis copiose ingestis, illos qui per annos maniaci erant, sanatos legimus. Addimus hic vegetabilium succos, vti lactucae, sonchi, taraxaci, scorzonerae, fumariae, endiuiiae, similesque in Germanorum medicina minus quam exterorum frequentissimi vsus, & mitissima vi humorum alcalescentium tenaciumque vitia corrigentes. Si vim refrigerantem aut flatus generantem metuis, licebit

cebit

cebit aliquid aromatum, vini Rhenani similiumque intermiscere, quale certe potionum genus nemo facile fastidiat. Potest miseris vel solum serum lactis suaderi, cuius usus nescio an in alio morbi genere manifestior esse possit. Quandoquidem enim summam fluxilitatem habet, & ex partibus acidiusculis constat, commode lubricare aluum, lactea penetrare, sanguinem renouare, loca secretoria aperire, & putre illud imprimis ac tenax coagulum dissoluere, & fluxum per infarcta vasa prouido & diuturno usu instaurare potest. Quod si praeterea fere per omnes horas cremoris tartari aut tartari vitriolati tantillum sumatur, non solum eum in modum perpetuis digestionum vitiis consulitur, sed & sensim vis illa soluens ad noxia loca cum certo effectu diffunditur. Atque haec prima est quae ante oculos versari debet, medici auxilii conditio. Si vero spissum illud, quod in hoc morbo vbiuis arguimus, in se complectitur acre acidum, vnde nigram subinde foecem, cum terra & similibus efferuescentem, & vasa metallica erodentem eiectam esse, post Hippocratem Aëtius, Ballonius aliique testati sunt, quamuis sine dubio rarissime fieri soleat & pos-

C

fit

fit, sunt & huic acri praedominanti saponacea sua opponenda, vti sapo venetus, addito sale absinthii vel cardui benedicti, minimis & refrenatis dosibus, saepissime in vna alteraue pillula, cum iusculis carniū ingerendis. At palmam reliquis praeripiunt aquae minerales, vt Spadanae & Schwalbacenses, in quibus mars lenissime solutus absorbet acidum, reliqua contenta diluunt, soluunt, abstergunt, viasque secretorias expediunt. In acrimonia muriatica, quid abstinentia a falsis calidisque, vsus sub acidorum, lixiuium calcis viuae, & similia possint, abunde constat peritis, & his, quibus opus est, armis eos instruit.

§. XI.

Verum non sufficit, in his remediis, quae soluere viscidum & latentem in eo acrimoniam pro cognito discrimine suo expugnare docent, subsistere; ad id iam enititur medicus, vt solutam motamque materiam, & ex veterum sententia turgentem caute determinet & ad loca conuenientia. Nam si ante coctionem perfectam transit subito impetu in venam cauam & dein-

deinde in sanguinem, potest febre exorta intra paucas horas funesta excitare symptomata. Lata ad cerebrum generabit deliria, ad pulmones tabem, ad intestina diarrhoeam. Saepe conuulsiones terribiles, ingentes cardialgias, nauseas intolerabiles, deliquia animi & alia multa producit. Haud id facile in leuiori gradu morbi nostri metuendum est, at in adultiori, qui in melancholiam degenerare incepit, omnem medici attentionem meretur. Omnis hic ars hunc sibi scopum praefixum habet, vt vim, quae soluat & expellat, haud quiescere patiatur, deinde vt caueat, ne celerius mota materia noceat visceri, in quod irruit. Iam aluum incipit soluere, sed ita vt materiam, quam huc allicit, corrigere simul pergat. Optime hoc fit, si soluta materia alcaliscentis genii est, vt crystallorum tartari vncia vna misceatur cydoniorum, ribesiorum, baccarum sambuci similiumque librae vni, coquanturque in fero lactis, vtque ita deinceps aeger tali decocto bis per horam in modica quantitate vtatur. Sine dubio soluunt haec aluum & corrigunt simul opposita vi malignum morbi genium. Properandum autem est, ne sistatur materia in illo molimine

C 2

expul-

expulsionis, quod instare cognoscimus ex pulsu debili inaequali, nausea, anxietate & febricula. Atque sic pariter acido praedominante solvimus in iusculis carniū saponem venetum cum sale fixo, & tum omni hora pilulam leniter eccoproticam exhibemus. Ita pariter ad vias ab acrimonia exeuntis materiae praemuniendas diuersae indolis clysmatibus utimur, & in tota hac methodo, quam diu vires adsunt, persistimus, nec ubi dolores nimis urgent, paucillum opii denegamus. Atque haec est methodus, euacuantibus post praemissa soluentia rite utendi. Neque enim Hippocratem, qui eadem solutione praemissa helleborum album propinauit, hic sequi tutius arbitramur. Praestant mitiora, quod nimis multi a vomitoriis & purgantibus conuellantur. Hinc opiata etiam purgantibus misceri suavit Gorterius (a).

§. XII.

Tertium quod fieri debet, post solutam materiam & in circulum redactam, illud est, ut vasa debilitata & ad nouam proinde fouendam stasim procliuia iusto iterum tono potiantur. Seruiunt

(a) Vid. ei. compend. med. tract. 17. §. 62.

viunt hic medicamenta chalybeata, remedia volatilia, infusa amara, vina medicata & huius generis alia, quae aucto vasorum elatere noui infarctus genesin impediunt. Itaque hic etiam ob lenem adstrictionem & amaritudinem laudare vsum corticis peruuiani minime dubitamus, quamuis illum in hoc morbo minus certo prodesse laudatus Gorterus (b) scribat. Caeterum hic non inepte eodem suadente gammata praescribuntur, quae soluunt viscida, neruis profunt & corruptioni resistunt (c).

§ XIII.

Ex dictis haud difficulter iudicabunt, qui in auctorum lectione sedulo versantur, quorsum pleraque ab eis iactata remedia pertineant. Si theriacam Andromachi & vinum Hispanicum laudarunt muki vel & zingiber conditum & femina carui, aut cum Sydenhamo crudam ferri limaturam vel aquam ferreis clavis & calceis equinis impraegnatam, sponte intelligimus, haec in vltimo morbi stadio locum habere post liberata vasa & praegressas sufficientes euacuationes. Multa quidem ex his in prima etiam acie

(b) Vid. l. c. tract. 52. §. 28.

(c) Vid. l. c. tract. 72. n. 5.

aciu stare & morbum cum laesa digestionem coniunctum lenire possunt, verum nunquam bona fide, si arx mali haud impugnetur. Ita qui salia volatilia oleosa, spiritus lauendulae aliosque, oleum succini, castoreata, bezoardica, tincturas acriores &c. infinitis ornant elogiis, nisi tempora distinguant, efficiunt necessario, ut in deterius fiat morbus. Illis assentior maxime, qui salia modice stimulantia & aperientia, qualis est sal Tackeni, cum lenissimis saponaceis, toto fere morbi decursu commendant, & in acris ac viscido dignoscendo iustam medelae normam agnoscunt.

§. XIV.

Fons chirurgiae vix quicquam solidi remedii suppeditat. Nihil hic corrigit venae sectio, cum qua tenuior sanguis effunditur, & remanens eo haeret immobilior. Nolim tamen omnem dissuadere, si qua plethorae vestigia adsint, quod rarissimum est. Ingruentia etiam paulo saepius symptomata monentaneam interdum opem hanc requirere videntur. Maxime vero haemorrhoidarii, si ex suppressis haemorrhoidibus in statum illum morbi incidunt, fluxu per arteriam chirurgi restituito praeclare adiuuantur. Qui pun-

punctionibus, scarificationibus, vesicantibus, vitionibus, calefacta sartagine &c. (d) succurrere volunt, vix ponderare videntur in scopo suo ad alia loca determinandi, quam rebelle sit & immorigerum, quod intra vasa reclusum haeret. Adeo enim ad hos stimulos non deserit latebras suas, vt potius tenui parte hinc magis discussa longe quam ante haereat tenacius.

§. XV.

Plus vero praesidii spondet fons diaeteticus. Quemadmodum diaeta omnibus morbis tutissimam opem praestat, ita maxime ea opus est teste Sennerto (e) in malo hypochondriaco. Parum abest, quin ea sola in miserrimum statum deiectos aegros optime sibi consuluisse firmiter credam. Aër ficcus & calidus, vtilympham corporis potentissime dissipat, ita si hypochondriaci in eas regiones se conferunt, vbi humidior aër spirat, non exiguum persentiscunt leuamen. Quod si victum eiusdem generis eligunt, nunquam ficiorem & longo digestionis molimine egentem, sed humectan-

tem

(d) Vid. Allenii synopsis. med. c. 3. art. 119.

(e) V. ei. Prax. L. 3. P. 5. S. 1. C. 7.

tem & suauiter refocillantem, praecauebunt egregie progressum morbi. Optime hic erunt cibi leuissimi, vti ius recentium carnum cum succo citri, vel cui lactuca, endiuia, chondrilla, beta, chaerefolium, & quae ad eandem classem pertinent, incoquuntur. Maxime praefero plantas succum lacteum stillantes & magna ex parte culinares. Nec lac improbo aut eius serum, aut lac ebutyratum & quae eiusdem sunt progeniei. Omnibus his vis est saponacea, quod iam pariter monui de fructibus horaeis, quorum succos vi sua dissoluendi vim superare ipsorum salium volatiliu oleoform haud temere peruadeor. Inter haec optime se habent hypochondriaci, quando e contrario post victum carnum pisciumque manifeste eorum valetudo in deterius mutatur. Ex piscibus maxime iis nocent, qui squamis sunt destituti, ex carnibus bubulae, suillae, caprillae, anserum, anatum, ceruorum &c. Pessime ipsis farinacea cum pinguedine inprimis subacta consulunt. Potus siue cereuisiarum siue vinorum siue prisanarum nomine venientes minime sunt aegris negandi, in primis quod praeter vires humectandi soluendique ad acorem inclinent, huic

huic morbo vt plurimum oppositum. Crassas vero & lupulatas nimis cereuifias quin & fortiora vina ideo non permittimus, quod breuiter duret vis humectans, & stimulo suo plus liquidi excutiat quam aduexit. Somnum non nimis prope a coena initum indulgemus liberaliter, sique per vigilias fatigantur aegri, etiam arte conciliamus. Neque enim maior potestas est quam illa somni, circumactos iugiter humores ad omne secretionum genus praeparandi, & noua spirituum copia sensuum motuumque organa implendi. Motus corporis moderatos, quibus substitui in debilioribus frictio possit, pro ingenti habemus remedio, modo non ad nimium gradum lassitudinis vel etiam sudoris continentur. Quid non hic ab equitationis auxilio Sydenhamus promittit? Adde quod exercitia illa motusque, quoniam cum certa oblectatione mentis coniuncta sunt, illum solitudinis amorem pulchre semper imminuant. Denique diaeta causas sollicitudinum, timoris aliorumque vehementiorum affectuum remouet. Venerem non nisi illa ex parte, qua animo serenitatem reddit & aegrum ad societatem humanam reuocat, indulgere solet, circa excreta vero & retenta, ne morbus inualescat, vigilem simul impendit operam. Atque de his satis!

D

C O R O L L A R I A .

Assueti debiles ea ferunt, quae inassuetis robustis molesta.

Insalubris cibus cupide sumtus plus prodest quam salubrior cibus cum taedio ingestus.

Optima valetudo est certissimis mutationibus obnoxia.

Quod natura in expugnandis morbis saepissime sibi sufficiat, empirici laus est, quod ars interdum deficiat, medici opprobrium.

